



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sanderi Presbyteri, S. Th. Licentiati Hagiologivm  
Flandriae Sive De Sanctis eius Prouinciae Liber vnus**

**Sanderus, Antoine**

**Antverpiae, 1625**

Vinciana Virgo. Gandaui.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10172**

ipse vinculis solutis liber erasit. Postea Episcopus Rotomagi factus, Morinorum & Neruiorum gentes indomitam verbi prædicatione ad fidem Christi perduxit, & demum Confessor in pace quieuit. Cæterum sancti Victorij egregia facinora describit sanctus Paulinus Nolanus Episcopus epistolâ vigesimâ sextâ ad ipsum scriptâ. Ad hunc ipsum Innocentius Papa decretalem secundam illam insignem scripsit, quam hodie Nouatores imperitè & malignè carpunt.

## VICTOR MARTYR.

*Insulis.*

**A**nno millesimo sexcentesimo decimo quinto cor- 14. Iulij.  
pus eius ad Ecclesiam Societatis Iesu Insulensem  
magna solemnitate deuictum est. Vide ea de re Trium-  
phum sacrum Petri Hallosij eiusdem Societatis Theologi,  
Miræum item in Fastis.

## VINCIANA VIRGO.

*Gandavi.*

**V**INCIANA claris Romæ natalibus orta, vna cum fra- 11. Sept:  
tre suo Landoaldo Archipresbytero, aliisque non-  
nullis ex Italia in Galliam usque Belgicam Christianæ Re-  
ligionis plantandæ caussa circa annum Domini 633. pro-  
fecta est. Nec verò conatum eius piissimum euentus fe-  
fellit. Siquidem dum Amandus ac Landoaldus in Tun-  
grorum ac Flandrorum ad fidem Christi conuersione gna-  
uiter laborarent ipsa interim, quibuscumque modis po-

X tuit

tuit, laboribus eorum cooperans, prædicationis opus maximè promovit. Tandem peregrinationis suæ decurso tempore, plena operibus bonis in Wintershouia Habantiae vico anno Domini 643. migrauit ad Dominum tertio Idus Septembris, estque ibi à fratre suo Landoaldo decenter sepulta; post annos autem ab obitu eius 337. ex illo loco ad Ecclesiam Diui Bauonis Gandensis simul cum fratribus Landoaldi ac aliorum sanctorum corporibus à Womaro Abbe translata est.

## W A L B V R G I S   V I R G O.

*Furnis.*

4. Aug. **H**Viis & fratrum eius sanctorum Wilibaldi & Wunibaldi Reliquiæ allatæ sunt ex Germania anno Incarnationis Dominicæ octogentesimo septuagesimo per Balduinum Ferreum Flandriæ Comitem, & magno cum honore Furnis repositæ, instituto ad id Monasterio Ordinis sancti Benedicti, quod nunc est Canonicorum Collegium Diocesis Iprensis præcipua tamen S. Walburgis portio habetur Aichstadij in Monasterio, quod ab ea nominatur, vbi hodiè ex eius corpore oleum in subiectum argenteum vas miraculosè defluit, quod multis grauibus morbis medetur. Eleuata est inibi, & Sanctis adscripta circa annum Domini octingentesimum septuagesimum.

*Filia Regis erat, sed egenam se faciebat;  
Dives ut in Christo regnaret semper in ipso.*

WAN.